



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 7. Tragoediae sensibiles affectus excitant, & quid hinc colligatur contra  
doctrinam quae hic oppugnatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## §. VII.

Tragædiæ sensibiles affectus excitant, & quid hinc colligatur contra doctrinam quæ hîc oppugnatur.

**I**Taquè nequaquam secundum momentaneum illum, & ut ita dixerim, horarium *Ælredus* affectum Dei pensandus (est) amor: quod ex *ib. cap. 17.* contrariis exemplis perspicuum est intueri. Cum enim in tragædiis vanisque carminibus quisquam injuriatus fingitur vel oppressus, cujus amabilis pulchritudo, fortitudo mirabilis, gratiofus prædicetur affectus, si quis hæc vel cum canuntur audiens, vel cernens si recitentur, usque ad expressionem lachrymarum quodam moveatur affectu, nonnè perabsurdum est ex hac vanissima pietate de amoris ejus qualitate capere conjecturam? ut hinc fabulosum illum nescio quem affirmetur amare, pro cujus ereptione, etiamsi hæc omnia verè præ oculis gererentur, ne modicam quidem substantiæ suæ portionem pateretur expendi? similis profecto ineptiæ est, imo multò majoris insaniæ, si quisquam luxuriosus aut tepidus, occultâ Dei dispensatione, ob quosdam internos compungatur affectus, ad vana & lubrica & sordes pristinas denuo reversurus, secundum steriles has lachrymas ac momentaneos affectus de ejus dilectione ferre sententiam.

Quin-

Quingentis & sexaginta annis præces-  
 ferat Aëlredum egregius Ruspensis An-  
 tistes S. Fulgentius, sed non minor est  
 ejus in quosdam his non longè abfimiles L. 1. de re-  
 mis. pecc. c.  
 censura: Nonnulli, inquit, 12. *scelerum suo-  
 rum consideratione perterriti: pro iniquitatibus  
 quidem suis in oratione gemunt, nec tamen ab  
 iniqua operatione discedunt. Fatentur se malè  
 fecisse, nec ullum finem volunt malis suis factis  
 imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei  
 peccata quibus tenentur oppressi, & eadem pecca-  
 ta quæ humilitate sermonis accusant, corde per-  
 verso contumaciter cumulant. Indulgentiam  
 quam lachrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi  
 pravis operibus adimunt. Medelam postulant à  
 medico, & in perniciem suam subrogant adju-  
 torium morbo. Ac sic inaniter verbis quærunt  
 placare justum judicem, quem factis iniquis ma-  
 gis irritant ad furorem. Tales enim nunquam  
 diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt  
 peccare post gemitum.*

Ejusmodi proindè lachrymosæ oratiun-  
 culæ non statim fidere, non hoc est, ut  
 vult Appendix, nimium diffidere, &  
 omnes peccatores in desperationem præ-  
 cipitare, sed ne cum animæ suæ pericu-  
 lo malè confidant præcavere; & quomo-  
 do ad veram & solidam spem, quæ eos  
 non confundat, pervenire possint & debeant,  
 demonstrare, Rom. 5. 7.  
 5.